



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 74. Decreta diversarum Sacrarum Congregationem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)



Sæc. XVII. insuper die sexta Martii statuit, ut  
A. C. 1694. Confraternitatum Romanarum Ministri  
 subsidia decem ex illis, quæ ab ejus-  
 modi Sodalitatibus distribui solent, to-  
 tidem pauperibus puellis tam in Asce-  
 terio Divinæ Providentiæ, quam in  
 Hospitio Pauperum invalidorum, quod  
 idem Pontifex tam pro Viris, quam  
 puellis tuendæ earum honestatis gratia  
 non ita pridem erexerat, quotannis  
 assignarent. Provide etiam die quarta  
 Novembris varia edidit statuta, quibus  
 omni fraudi obviam iretur, ne alieni  
 subditi ordinarentur, & dimissoriarum  
 fides integra esset.

## §. LXXIV.

*Decreta diversarum Sacrarum Con-  
gregationum.*

*Bull. In-  
 noc. XII.  
 Const. 29.  
 pag. 264.  
 Bull. Rom.  
 t. 7. Const.  
 104. Decis.  
 SS. Congr.*

**M**otis diversis dubiis circa Ecclesiæ  
 Ritus, ac disciplinam hoc item  
 anno plurium Sacrarum Congregatio-  
 num decisiones emanarunt, & quidem  
 ad dubium, an Vigilia S. Mathiæ Apo-  
 stoli occurrens in feria tertia post Do-  
 minicam quinquagesimæ, possit ratione  
 carnis privii cum jejunio anticipari,  
 respondit S. Rituum Congregatio die  
 vigesima tertia Januarii, negando, sed  
 jejunium prædicta feria tertia omnino  
 esse servandum; Hanc decisionem ipse-  
 met



met etiam Pontifex sua Constitutione Sæc. XVII.  
 ratam habuit. Decidit quoque Sacra A. C. 1694.  
 Concilii Congregatio die sexta Martii,  
 quod Capellani cujusvis exercitus, sive  
 Regulares sive sæculares non possint  
 administrare militibus præfidiariis Sa-  
 cramentum Pænitiæ sine speciali  
 licentia Sacræ Sedis vel Ordinarii, in  
 cujus Diœcesi exstant. Declaratum  
 quoque a S. Rota die decima octava  
 Junii, quod Episcopus duarum Eccle-  
 siarum unitarum debeat pro unaqua-  
 que Cathedrali Canonicum Pœniten-  
 tiarium eligere. Insuper Sacra Immu-  
 nitatis Congregatio die tertia Augusti  
 statuit, ut Facultas absolvendi a cen-  
 suris ob violatam Immunitatem Eccle-  
 siasticam aliquando committi possit Con-  
 fessario. Exorto autem dubio in una  
 Insularum Canariæ Sacra Concilii Con-  
 gregatio die decima tertia Novembris  
 declaravit, quod Regulares, præce-  
 dente generali indictione, teneantur  
 adire Processiones publicas Corporis  
 Christi, & similium, nisi obstet privi-  
 legium. Ejusdem vero Mensis die vi-  
 gesima septima ab eadem Congrega-  
 tione correctum fuit Synodi Miletensis  
 decretum, quo prohibebatur Regu-  
 laribus, ne in Ecclesiis sæcularibus ex  
 Legato celebrent: probavit autem  
 Sacra Inquisitionis Congregatio die  
 quar-



Sæc. XVII. quarta Decembris decretum, quo sub  
A. C. 1694. pœna suspensionis prohibitum, ne Mu-  
 lierum, puerorumque Confessiones ex-  
 tra Confessionale, & non interposita  
 Crate excipiantur.

## §. LXXV.

*Diœcesanæ Synodi Monasteriensis  
 Decreta.*

*Concil.  
 Germ. t. 10.  
 pag. 214.*

Habuit Fridericus Christianus de Plet-  
 tenberg Monasteriensis Episcopus  
 non modo Verno tempore, sed & in  
 Autumno, & quidem die vigesima se-  
 cunda Martii & decima Octobris pro  
 more Synodum Diœcesanam, in qua  
 cunctis Clericis severe inhiuit, ne vesti-  
 bus laicalibus induti non sine maxima  
 laicorum offensione incederent, proin-  
 prima vice sub pœna suspensionis, ac  
 postea sub pœna privationis officiorum  
 beneficiorumque præcepit, ut dein-  
 cept nonnisi nigri coloris veste ute-  
 rentur: Hortabatur etiam Parochos,  
 omnesque ad curam animarum voca-  
 tos, ut studia Theologico - Canonica  
 sedulo recolant, & toties quoties Epi-  
 scopo videbitur, examini sese sistant:  
 Denique immodicum luxum in exe-  
 quis mortuorum prohibuit.

§. LXXVI.